ti qui dedit nobis hanc mentem ut in agnitione et fiducia filij sui dilecti cla-
mare audeamus Abba pater servet nos omnes incontaminatos usque ad re-
uelationem filiorum Dei. Me certe fateor non inoffenso cursu ad praescrip-
tam metam contendere. saepe tumultuor et labasco. saepe premor in arctum
redactus, saepe ἄλλοσε ἄλλοσε perque aere subsisto. sed quia me sentio hactenus
etiam in rebus desperatis desertum non fuisse, etiam in magnis difficulta-
tibus quas aegerrime explico hanc tamen fiduciam mordicus retineo, cuius p-
sentia salutaris iam pridem multas significationes habeo, eius mihi in poste-
rum tempus opportunum auxilium nunquam defuturum. proinde nihil admitta
vel in meos familiares, vel in meam ipsius animam, quod puriori doctri-
nae non consentiat, nisi prorsus inanis spes est huius pauperis omne praesidiu
in DEO salvatore suo collocantis. quod sicubi inscitia impegero plagas
pati possum, desicere nec debeo, nec possum. Quamobrem venerande
frater ut ignoscere superioribus erratis tua mansuetudo et in posterum me-
lius ominari velit, te etiam atque etiam rogo. Nam quia tuo ingenio iudi-
cio plurimum defero, et praedictiones tuas in alijs re ipsa comperi Si-
bylla folijs veriores esse. saepe mecum anxius cogito quid fuerit potissi-
mum unde hanc coniecturam ceperis: et quibus maxime rationibus possit possim
a meis ceruicibus depellere. quam tu mihi impendere existimas tam de-
formem calamitatem. Vale. Obsecro ut ex me salutes pijssimam coniu-
gem cum reliquis familiarissimis. Duisburgi 3. Nonas Julij. 1560.

Tui studiosissimus
Johannes Molanus.

D. Petro Saliu ~~[illegible]~~ breme Pax Christi

Nr. 65)

[= Ascr. A. 11. N. 205]

D. Petre senex pijssime, sequid me cogitas in magnis fluctibus, vel tui vel
tuorum colloquiorum vel carminum festivissimorum esse oblitum: Viuit adhuc
recens omnium apud me rerum illarum memoria quae meo cumque animo
(semper proiecto) aliquid roboris contulerunt. Inprimis autem illa dulcissima
consuetudo quae nobis in conuictu D. et Maecenatis nostri fuit, ipsa recor-
datione sic me recreat, ut saepe vigilans somniem me et adesse ~~me~~ vestris sac-
tissimis conuiuijs et amicissimorum virorum oculos contemplari. Neque queo i-
telligere quum id aetatis sim quando me sapere oportebat maxime. Unde
sit hic stupor innatus meo pectori ut nunc demum laudem bona mea posteaquam
e manibus quasi inter digitos fluxerunt. Rogo te mi Petre amemus iter
nos, neque offendat vos meus inquietus Spiritus. qui me saepe in acerbos dolo-
res coniecit. Ora etiam (per nostram amicitiam te obtestor) ora D. Docto-
rem Albertum, ut quae a me parum syncere facta fuerunt Bremae, ubi ter-
tum septennium misere me ipsum afflixi et quam sane potui fidem praestiti: ea
mihi propter communem Christi Servatoris φιλαδελφίαν, ἀνεξικακίαν, et
μακροθυμίαν, in meliorem partem interpretetur, neque eorum respectu suum a

me

me animi dubium faciat. Nunquam ipse vixi ubi sanctius hospitium quam isthic habui neque etiam ubi fideliores amicos homuncio inamabilis inveni. D. Doctor et hospiti benigni et sancti parentis loco mihi ~~fuit~~ meaeque miserae coniugi fuit. Nobis sit autem† lux matutina, si non et praesentem soliciter veneratus sum, et absentem grati animi pietate complector. D. Albertum van Lange ex omnibus quos Brema sustinet amavi plurimum, tum quia eum videbam D. Doctori amore mutuo devinctissimum esse: tum quia in meis angustijs subinde expertus eram singularem quandam (in illo tuae nutritio senectutis et meae imbecillitatis sublevatore) pietatem divinitus impressam esse. D. Consul Daniel a Buren saepe me et consilio suo iuvit, liberalitate refocillavit. Dispeream si non ego eum eiusque familiam et commendavi saepe Domino et ex animo dilexi. Te vero mi Petre (ut hominem DEI fidelem et probatum in ista aetate tam sobriter pium, tam placido Spiritu tam exporrecta fronte, tam candidis moribus) fato quodam isthuc venisse arbitror ut et te in eorum numerum referrem, quibus nunc a me distractis post pusillum temporis iterum coniungar, ubi se liberator noster rursum mundo ostenderit. Amen. Vale frater dilecte et gaude in Domino, quia ipse est DEUS tuus et salvabit te dextera eius. Duisburgi 29. Junij 1560.

mihi
matutina

Johannes Molanus.

Nr. 66)

Pax Christi — Michaeli [illegible]

[= Mscr. a 11: Nr. 206]

Nuper suavissime Michael quum isthuc literas darem adeo distentus fui ut nullam tibi operam dare possem. neque nunc ita vacuus sum ut non sit medijs negotiorum turbis quasi suffurandum quod homini nostri amantissimo velobiter impendam. Ex illis nostris iucundissimis congressibus etiam nunc syncerum quandam capio voluptatem. recte dictum est. Quum alias tum maxime in rebus asperis dulce est amici benevolique hominis oculos intueri. Te certe mi frater ut scio antehac mei praeter caeteros studiosum fuisse ita nunc quoque gaudeo tuo in me amori nihil decessisse tam longo temporis intervallo. Nam quod ad me attinet nisi mihi excidam ipsi, non debeo in eo diligendo remissior esse, quem mihi et pietatis societas, et domesticus usus coniunxit, quam olim fui quum animis coniunctissimis simul oculos manusque ad communem salutis nostrae principem tolleremus. cuius sane convictus illius nostri recordatio (quamvis ille plurimas habuit (ut par fuit) aerumnas) mihi fuit hactenus dulcis et dum vivam iucundissima erit. Durissima simul ibi perpessi sumus. et tamen in illis nostris quotidianis ad invocationem congressibus plerumque sic fui exhilaratus ut facile me caperet oblivio quotidianarum miseriarum. Sed quo magis in amore tui persisto

hoc